

PETER
SEABY
B

DE NUMMO HEBRAICO

PROPE CORCAGIAM (CORCK) IN HIBERNIA DETECTO

DISSERTATIO

HERMENEUTICA ET CRITICA

QUAM ANNO PRAETERITO DEDIT

MODO NOVIS CURIS AUGET

FR. THOMAS MARIA BORGETTI

ORDINIS PRAEDICATORUM

SACRAE THEOLOGIAE MAGISTER

AC LINGUARUM ORIENTALIUM PROFESSOR.

מגדל עוז שם יהוה
בו ירוץ צדיק ונשגב

ROMAE MDCCCXX.

APUD FRANCISCUM BOURLIÈ

Superiorum permissu.

ושמו את־שמי על־בני
ואני אברכם (1)
יברכך יהוה וישמרך
יאר יהוה פניו אליך ויחנך
ישא יהוה פניו אליך וישם לך שלום (2)

---

(1) Num. 6. 27. (2) Ibid. 24, et seq.

REIMPRIMATUR

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici

Candidus Maria Frattini Arch. Philipp. Vicesg.

APPROBATIONES.

Legi Dissertationem, cui titulus „ De Nummo Hebraico prope Corcagiam (Corck) in Hibernia detecto „ Fr. Thomae Mariae Borgetti Ord. Praed. Sacrae Theologiae Magistri, ac Linguarum Orientalium Professoris. Nihil in ea quod Religionis, aut Politicae legibus adversetur, reperi. Valde autem in ea legenda delectatus sum ob magnam eruditionem auctoris, ac penitissimam Linguae hebraicae peritiam; nec possum quin vehementer opus probem, typisque censeam dignissimum. Etiam ego animum adjeceram ad inscriptionem eamdem explicandam; et cum Borgettiana meam interpretationem convenire gaudeo. Illud imprimis placet, in Nummis ob spatii arctitudinem vocabula describi partim in una linea, partim in altera. Pluribus monumentis hujus linguae magna lux effundetur, verusque sensus arripietur: si divisio hujusmodi (quae in vulgari scriptione locum non habet) attendatur.

Quemadmodum auctorem excitavi, ut opus hoc suum publici juris faceret, nunc quoque stimulos ei subjicio ad secundam Dissertationem, quam promisit, edendam; valde enim utilia sunt, quae ibi describuntur Criteria ad mercem adulterinam a genuina discernendam; et infinita pene numismata, seu potius imagunculae cum hebraicis characteribus, quae circumferuntur, inter quisquilias projicientur; linguaque a foedissimo stercore repurgabitur.

Datum Romae ex aedibus Catechumenorum hac die 20. Jul. 1820.

Philippus Colonna Rector.

Opusculum a Fr: Thoma Maria Borgetti Ord. Praed. Sacrae Theologiae Magistro, ac Linguarum Orientalium Professore jamdiu notum, et novis curis auctum, cum titulo „ De nummo &c. perlectum a me fuit:

et nihil obstare illius editioni judico, Sanctissimae religioni, bonis moribus, juribus Principatus nulla infertur offensio; immo quibusdam locis vera interpretatio eruitur e Sacrae Theologiae principiis, quae F. Borgettus optime callet, utpote Praeceptor et Doctor. In explicationem Nummi tantam sagacitatem, ac Sancti idiomatis scientiam contulit, ut laudes summas mereatur. Utinam inter nos Catholicos plurimi pares illi forent, quoad profundam peritiam in Hebraicis. Huic linguae insudandum nostris temporibus est, ut ea utamur non solum adversus Judaicam perfidiam, verum ad Deistas, omnis religionis revelatae osores, retundendos. Abutuntur enim isti verbo Domini, et jactantes novas cognitiones, tentant mysteria omnia, et miracula convellere. Maxime igitur Auctorem commendo, quod studium suum intenderit ad linguam hanc nostram excolendam, pluribus discipulis solerter insinuandam, et scriptis promovendam, cum Theologia tamen junctam ac copulatam, saepissime enim dogmatis scientia sensum aperit obscurarum vocum, et viceversa vocum recta interpretatio dogmatis stabiliendo non leve affert argumentum.

Joan Petrus Rosini
Ling. Orient. olim Prof. Gibraltariae.

REIMPRIMATUR

Fr. Thomas Dominicus Piazza Ord. Praed. Magister et Socius
R. P. M. S. P. A.

V

DE NUMMO HEBRAICO
DISSERTATIO

NUMMI DESCRIPTIO.

Anno praeterito allatum ad me est in plagula chartae Londini impressum Exemplar Nummi aerei, qui prope Corcagiam (Corck) in Hibernia detectus dicebatur Mense Oct. 1818. Altera Nummi facies inscriptione hebraica , ut vides in A ornabatur ; altera Jesu Servatoris protomen exhibebat satis affabre elaboratam in medio hebraicorum characterum , qui in B exprimuntur

A



B



Sequebantur quatuor interpretationes Inscriptionis a doctissimis Viris editae, nulla tamen reddita ratione, cur ita essent interpretati. Eas refero quemadmodum ibi leguntur

Traslations of the Characters

„ Messiah the King came in peace, and being made the light of „ (or from) Man , liveth ". The four letters on the obverse signify „ the Lord Jesu ".

By the Rev. Dr. Barrett.

Vice-Prevost of Trinity College, Dublin &c.

„ Messiah reigneth , he came in a state of ignominy ; on his day the „ hath arisen , (his) blood hath been shed , he liveth " . The three letters in front of the face on the Medal , mean Jesu . The letter א , importing one, is the date from the latest event respecting Christ recorded in the Inscription, namely , the Resurrection or Ascension . *

By the Rev. Doctor Quarry ,

Rector of St. Mary's , Shandon , Córk .

„ The Lord Jesus " - " Christ the King came in peace , and the „ light from the Man was made life . "

By the Rev. Doctor Hales

Rector of Killesandra , in the County of Caran.

„ Christ the King came in peace , and the light from man became „ life , " or , " from sinful man liveth . "

By the Rev. Edw. Hincks ,

F. T. C. D.

* See his letters .

LONDON 1819.

Ad latus paginae , ubi haec erant typis impressa , scripserat manu propria eximius quidam Anglus ad Amicum Romae commorantem , se alias desiderare interpretationes ab iis , qui hebraicae docti in Urbe haberentur . Cui desiderio satitfacturus peregregius Egidius Carolus Joseph Van-de-Vivere , Patricius Belga , socius ordinarius Romanae Pontificiae Academiae Religionis Catholicae , pluribusque Italiae , ac Germaniae Academiis adscriptus , ac universa Philologia excultissimus , exemplar , quod

dixi, mihi ostendit, hortans, ac suadens, ut aliquid subtilius commentarer. Nihil denegare poteram Homini, cui summa doctrina, et omnigenae virtutes observantiam omnium conciliant, quemque mihi jamdiu amicitia arctissimo vinculo adjunxerat. Manus igitur operi admovi illico; et praeteritis omnibus quaestionibus, quae de Nummi materia, origine, vetustate institui possent Numismaticorum more (hisce enim de rebus judicium meum non postulabatur) lectiones litterarum, quas tempus, et humiditas Soli, unde effossus Nummus fuit, abraserat, restituere conatus sum, et explicationem, quae optima mihi visa est, ex hebraicae linguae visceribus erutam proposui; caeteras a magnis quidem viris profectas, sed mea sententia minus accuratas, ubi peccent, adnotavi. Rem totam tibi, Lector, subjicio.

Lectionis restitutio.

A	B
משיח	
מלך בא כש	vel א ש
לום יאר בו א	vel א שי
דם בשוע	vel א ישי
תו	vel א ישו

In prima linea faciei A secundus Character (ut enumeratio semper inchoetur a dextra, quia in lingua Hebraica, sicut in caeteris orientalibus, lectio inchoatur a dextra, et pergit ad sinistram) quamvis videatur corruptus, a nobis sine ulla difficultate redditus est ש, quia praeter aliquod vestigium ipsius ש, insuper nulla alia littera integris circumstantibus potest inseri, habita quoque ratione nedum ad ipsam dictionem, sed ad totam inscriptionem, et ad ipsam imaginem cum characteribus ad latera sculptis.

In secunda linea Character omnino abrasus, qui quartum locum tenet in linea, a nobis redditur ב, qui debet conflare unam dictionem cum charactere immediate subsequenti, qui a nobis redditus est א, ita exigente et natura contextus, et forma adhuc apparenti accedente magis ad ipsum א.

In tertia linea quintus Character, qui videtur unus, perpendenti tamen apparet compositus ex duobus, nempe ר et א: nam coaluerunt in unum ob corrosionem aeris, quod prius utrumque characterem disjungebat. Illud idem accidit Characteri sequenti, qui dirimendus est in hosce duos distinctos characteres: nempe ו et ב, uti infra patebit in ipsa coordinatione, ac explicatione.

In linea quarta, ubi ultimus Character apparet abrasus, a nobis redditur ע juxta naturam antiquae Scriptionis, quae aliquando invaluit designandi ע ea forma, ut videre est in Scriptoribus hebraicae paleographiae.

In quinta linea quamvis ultimus Character accedat magis ad formam ו quam ad י propter sui exiguitatem comparatione facta ad alios characteres; tamen a nobis redditus potius est ו quam י, quia aliae litterae propter corrosionem majorem crassitiem in ductibus linearum nactae sunt.

Ordo Litterarum, ac Syllabarum
in lectione Sequendus:

Hebraica Scriptio nunquam dictionem dividit, ita ut syllabam unam, vel duas in una linea ponat, et alteram, vel alias ponat in altera; sed potius ad lineam explendam protrahit unam vel alteram ex illis quinque litteris; nempe ת, ם, ל, ה, א, quae in dicta linea reperiri possint, ut deformitas vacui auferatur, quod in lineae extremitate apparet; et protrahuntur hoc pacto nempe ת, vel ת; ם, vel ם; ל, vel ל; ה, vel ה; א, vel א magis, vel minus longae juxta vacuum explendum, ut in Bibliis passim videre licet. Jam vero haec regula, cum ageretur de Numismate, ob parvitatem Moduli ad continendam integram inscriptionem, non potuit observari; si enim propter hanc eamdem rationem non fuit observata distantia inter unam dictionem, et alteram, nil mirum, si neque vacuum inductum est, neque litterae sunt protractae ad vacuum illud reparandum juxta hebraicum canonem; sed potius sicut dictiones contra orthographiae canonem sunt conjunctae in ipsa linea, ita et dictiones in lineis sunt divisae; eadem nempe stante causa, ac ratione, idest Moduli parvitate in Numismate ad integram continendam inscriptionem. Ne attribuamus hoc temporum inscitiae, ac Scriptorum imperitiae; quemadmodum enim non omnes Latini, non omnes Italici ortho-

graphiam vel Latinam vel Italicam perfecte agnoscunt ; ita nec omnes Hebraici Scriptores, cum et ipsi temporum vicissitudinibus fuerint subject i, non secus ac alii Scriptores in quacumque alia lingua. Itaque distributio, ac collocatio litterarum, ac syllabarum, quae mea sententia in Numismate fuit perturbata, debet fieri ordine sequenti, nempe

משיח
מלך בא בשלום
יאר בו
אדם בשועתו

In qua syllabarum restitutione apparet, quod quaedam lineae (si ordo solitus servatus fuisset) evasissent longiores aliis, et aliae nimis breves contra naturam rotunditatis Numismatis (quae necessario exigebat, ut tres lineae intermediae essent aequalis longitudinis, prima vero, et ultima essent breviores illis tribus intermediis); hoc autem non poterat observari, nisi ponendo medietatem dictionis, quae claudebat secundam lineam in principio tertiae lineae, non autem integram dictionem, quia tunc exuberasset in tertia linea, et vacuum fuisset inductum in secunda; quod quidem commode fuisset reparatum per protractionem consonantium juxta regulam jam positam, sed hoc pacto non fuisset sufficiens superficies Numismatis ad integram inscriptionem explendam; eo vel magis quod hoc idem debuisset observari et in tertia, et in quarta linea. Quare necessario duae syllabae ultimae dictionis secundae lineae fuerunt positae in ipsa secunda linea, et tertia syllaba in tertia linea; iterum una syllaba ultimae dictionis in tertia linea debuit in ea poni, et altera syllaba in quarta linea; Tandem ipsius quartae lineae ultima syllaba ultimae dictionis debuit poni in quinta et ultima linea, ita exigente natura rotunditatis faciei Numismatis, ut ab initio diximus.

POETICA VIS ET CONCINNITAS INSCRIPTIONIS.

Hucusque de Litterarnm, ac Syllabarum restitutione in propriis lineis juxta regulas grammaticales. At cum haec inscriptio sit Poetica tum

propter sublimitatem sententiarum tum propter relationem ad Bibliorum loca, ex quibus sententiae illae sunt desumptae, quae omnia ex ipsa interpretatione constabunt; tum denique propter perfectam, imo perfectissimam harmoniam, ac consonantiam inter se (si in disticho, seu in duobus versibus Litterae illae omnes distribuantur), adamussim Hebraicae Poeseos legibus commensuratam, uti ex ipsamet coordinatione intuenti eam, ac consideranti patebit: hinc operae praetium est, ut ordinem versuum in ipso Nummo perturbatum, exhibeamus. Age itaque Ordo immediate sequens est ordo Poeticus

משיח מלך בא בשלום
יאר בו ארם בשועתו

Tot syllabae in prima linea, seu versu, quot in s:cunda linea, seu in secundo versu, ex quatuor dictionibus utroque constante; et rythmus idem ac concentus. Sed minutiora haec sunt, quam deceat candidum veritatis amatorem amplius expendere, aut aliquatenus in eo examine immorari. Aut enim qui legit hebraicam Poesim callet, et statim pri.na fronte non potest eam non recognoscere: aut metricas rythmicasque regulas ignorat, et non est muneris nostri illum docere. Plenae sunt Bibliothecae Scriptoribus de ipsa divina poesi pertractantibus: ad illas accedat et facile discet, nisi plane αμουσος sit. Dijudicare autem quisque poterit verum hic subesse carmen ex autopsia scripturae; exque ipso sono interpretationis, quam dabimus; in qua sententiarum sublimitatem admirabitur, ac Poetico Spiritu abripietur, dum nescio quid dulce sonans auribus sentiet. Sed prius pro comoditate eorum, qui sine vocalibus Massorethicis legere nesciunt, referamus lectionem cum punctis Massorethicis.

מְשִׁיחַ מֶלֶךְ בָּא בְּשָׁלוֹם
יִאָר בּוֹ אָרָם בְּשָׁועֲתוֹ

Ratio talis punctationis a me reddi non debet; nam ipsis hebraicae linguae tyronibus est manifesta. Quare potius Latinam Versionem tradamus,

ex qua omnia Supradicta illustrantur pro captu, ac plena omnium intelligentia

EXPLICATIO SEU LATINA VERSIO.

Messias venit in pace.
Illuminabitur (1) *in eo homo, in invocando ipsum* (2)

Duae sunt sententiae in his duobus Poeticis versibus; et ambae praecipuos Messiae characteres exprimunt. Nam potissimus Messiae character est pax, quam toti Orbi allaturus erat; sic enim passim in sacris litteris exprimitur, ac denominatur; radix enim communior nominis שילוה, (quo singulariter ipse tantum determinatur ac primario exprimitur, cum de ipso fit sermo) est שלה idest *tranquillum esse*: Alter vero est gratia, ac lumen quod in cordibus hominum per ipsum erat infundendum; nempe illuminatio intellectus ad bonum intelligendum, et inclinatio voluntatis ad illud prosequendum, per quam inclinationem bonitas habetur voluntatis, quae ductum sequitur intellectus, et in ambobus hisce vera libertas consistit, cum illud lumen non sit nisi ad illustrandum, et non ad determinandum, et ideo gratia. Jam vero per Jesum Christum, nempe Messiam conferri gratiam, plenae sunt paginae tam Novi quam Veteris Testamenti. imo non praenunciatur in Veteri, non annunciatur in Novo nisi sub hac praerogativa, ac dote uti distinguente tempus ipsius, ac post ejus adventum, a temporibus superioribus, Patrum nempe, ac Prophetarum omnium. Hinc Lex gratiae jure merito denominatur Lex ejus, ac praenunciatur, ad distinctionem aliarum legum, nempe Naturae, et Scriptae. Quapropter illos esse characteres duos primarios, ac super omnes alios Principatum tenere, nemo est qui negare vel ambigere possit, nisi qui meridiei vult claudere oculos. Atqui supradescripta inscriptio secundum latinam versionem non continet, neque exprimit, nisi duas illas sententias utrumque characterem singillatim exhibentes. Colon enim illud, seu incisum, nempe *dum invocat ipsum*, vel *invocato ipso*, vel *in invocando ipsum* est expressivum, ac determinativum naturae illuminationis, quae, uti dixi, non coarctat, non

(1) Illuminetur.
(2) Vel invocato ipso, vel dum invocat ipsum.

obligat. et ideo illuminatur homo, si nempe ad lumen se convertat, seu si lumen inspiciat, quod totum exprimitur per invocationem. Quamvis tamen utrumque sit gratia Dei per Jesum Christum et quidem specialis, tamen apponitur colon illud ut natura ac indoles Characteris secundi, nempe *illuminationis* per Christum in suo vero sensu, ac significatione apprehendatur; quod non fit in primo Charactere exprimendo. quia non subjacet aequivocationi. Jam vero eo sublimiores sententiae sunt, ac poeticum spirant, quo magis accedunt, ac propius contingunt characterem rei quae versibus exponitur: divina enim carminum ars eo se maxime commendat, quod unico verbo pingat, verissimamque rei imaginem sistat quasi oculis visendam manibusque contrectandam, et a caeteris per insigniorem ἰδιότητα discernendam. Cum ergo supradictae sententiae in latina versione Inscriptionis sint hujusmodi uti vidimus, nemini dubium est, quin ratione hac altitudinem, ac sublimitatem Poeticam contineant, ac representent, et quidem hebraicam; nempe e Bibliis haustam tamquam e fonte omnium poeticarum deliciarum. Quae secunda pars magis proprie ostenditur, eo quod contineant ea, quae passim in Psalmis occurrunt, qui certo certius exquisitissimam continent hebraicam poesim. Sic Psalm. 26. vel 27. juxta enumerationem hebraicam יהוה אורי *Dominus lux mea*, et ps. 43. vel 44. juxta hebraicam ואור פניך *illuminatio vultus tui*, vel *lux facierum tuarum*. et sic percurrendo per alios psalmos, vel unum vel alium, vel ambos characteres invenies expressos in sententiis enthymematicis, ac poeticis, uti et in pluribus aliis Sacrae Scripturae libris. Non impugnarim, si quis asserat dictam sententiam poeticam desumptam esse, vel alludere ad illud Apostoli ad Eph. c. 5. v. 14. (*Excurge a mortuis, et illuminabit te Christus*) Imo est ipsissima mea sententia. Sed hoc non contradicit, quin sit sententia poetica in radice; nam de his quae de Veteri testamento in novum translata sunt de Christo et ejus characteribus, et signis adventus illius, jure merito possit dici illud Ecclesiastes אל מקום שהנחלים הלכים שם הם שבים ללכת idest *ad locum, unde exeunt flumina revertantur, ut iterum fluant*. Nempe omnia, quae de Christo in Novo Testamento prostant, jamdiu praenuuciata fuere in spiritu prophetico, ac veritate in ipso Veteri, ac propterea ibi omnia reperiuntur prius, tamqunm in prima sede, ac radice: Hinc sequitur quamvis Novum Testamentum non sit Poeticum, sed historicum, et ex ipso immediate sit desumpta sententia illa, ex Veteri certissime habuisse originem, ac propterea esse poeticam, utpote a psalmis, propheticisque

aliis libris indubie poeticis derivatam. Claudam hoc pacto: Inscriptiones praesertim breviores, uti in Numismate, debent continere, ac exprimere id quod nobilius, ac magnificentius de illo ad quem refertur inscriptio praedicari potest, et stylo sublimiori, quo potest; in hoc omnes concordes habemus. Atqui Sacrae Litterae, et praesertim libri poetici eo potissimum capite excellunt, quod de Christo quidquid exprimi potest, expresserunt, styloque pinxerunt penitus divino (ad cujus comparationem humana verba et locutiones sordent). Debuit igitur epigrammatis nummo insculpti Auctor ex iisdem libris phrases desumere ac sententias, ut digna Christo scriberet, suoque muneri satisfaceret. Sperasset enim e mente sua proditurum aliquid melius ac praestantius ad Messiam celebrandum, quam elogia fuerint a Spiritu Sancto ipso Prophetis afflata? Putasset ne verbis suis terrenam foecem sapientibus, insignia hominis Dei satis apte, satis ενεργετικῶς posse describi ac illustrari? Igitur, nisi res ipsa doceret, ac verba epigrammatis demonstrarent sumpta esse a poeticis Veteris Scripturae libris, facile idipsum hac nostra ultima animadversione probaretur.

Scholion.

In prima dictione secundi versus deest ו; scribitur enim יאר potiusquam יאור; deficiente nempe ו; ac propterea non potest verti *illuminabitur* pro futuro, vel *illuminetur* pro imperativo, uti quandoque fit, ut accipiatur futurum pro imperativo praesertim in tertiis personis, quae in Imperativis hebraicis desiderantur. Sed ipsi grammaticae tyrones sciunt suppleri defectum illum per (·) cholem, idest scribi (·) cholem loco וֹ vaucholem. In casu autem praesenti si canones grammaticales quoad distantiam dictionum et canones hebraici de non dividendis dictionibns inter unam et aliam lineam, non sunt observati ob rationem pluries dictam nil mirum, si ו sit omissum, permittente sic Grammatica, ejusque legibus vel si non permittat quoad casum presentem, ob necessitatem ex modulo nummi oriundam. (·) Cholem autem potuit confundi cum ipsa dilatatione litterarum, quibus adjacebat, ex humiditate soli proveniente, sub quo diu delituit.

Versio interlinearis.

משיח מלך בא בשלום
pace in venit rex Messias

יאר בו אדם בשועתו
ipsum invocando in homo eo in illuminetur

Dedi hanc versionem interlinearem cum ipsa simul poetica inscriptione pro captu, ac intelligentia tyronum linguae hebraicae, et ad aequivocationem auferendam, utque omnia in clara luce ponerentur,

EXPLICATIO CHARACTERUM B.

Venio modo ad illas alias duas Litteras, quae ex opposito faciei inscriptionis apparent; ubi nempe SSm̃i Salvatoris imago reperitur, Ut omnes norunt, in Numismatibus Litterae initiales, vel aeqnivalentes apponuntur, quae nomen indicent figurae, vel imaginis, cujus sunt: Imago autem, uti videre est, non potest esse nisi SSm̃i Salvatoris Jesu Christi, quod, qui eam inspiciat, comparetque cum vultu Christi in millenis aliis nummis extante, illico fateatur; Quare quod illae Litterae indicent nomen Salvatoris, nulla apparet difficultas: Eo vel magis quod inscriptioni ex altera facie nempe A consonet. Difficultas solum manet, cum pleraque sint SSm̃i Salvatoris nomina, cujus nominis sint signa illi characteres. Et cum hebraicae abbreviaturae qnandoque non figantur per Litteram initialem, uti etiam in casu presenti videbimus, hinc magis crescit difficultas.

Dicimus itaque illas duas litteras, quae nempe sunt hebraicae Abbreviaturae, posse reddi pluribus modis; quibus rite examinatis, ac bene perpensis, idem semper dictum reperiemus. Ut autem eumdem ordinem, servemus, quem tenuimus in explicanda inscriptione A, prius restituenda est lectio ad suam puritatem, ac proprias formas; deinde vero ad varias interpretationes, seu explicationes ipsorum characterum accedemus.

LECTIONIS RESTITUTIO CHARACTERUM B

vel	ש	א
vel	יש	א
vel	ישי	א
vel	ישו	א

EXPLICATIO PRAEDICTORUN CHARACTERUM

vel	שילוה	יהוה	Jehova Schilo (Messias)
vel	אילוה	אדם	Adam (homo) Schilo
vel	שילוה	ארני	Dominus Schilo
vel	שילוה	אל	Deus Schilo
vel	אלהים שילוה		Deus Schilo

יהוה ישוע	Jehova Jescuah (Jesus)
אדם ישוע	Adam Jescuah
אל ישוע	Deus Jescuah
אלהים ישוע	Deus Jescuah
ארני ישוע	Dominus Jescuah

יהוה ישועתי	Jehova Jescuahti (salus mea)
אדם ישועתי	Adam Jescuahti
אל ישועתי	Deus Jescuahti
אלהים ישועתי	Dens Jescuahti
ארני ישוטתי	Dominus Jescuahti

יהוה שלח	Jehova Scalah (missus)
אדם שלח	Adam Scalah
אל שלח	Deus Scalah
אלהים שלח	Deus Scalah
אדני שלח	Dominus Scalah

Quocumque enim modo legatur ex supradictis , semper Salvator Mundi a Prophetis praenunciatus , a Judaeis crucifixus , et ab Apostolis annunciatus , clarissime ostenditur et quidem nominibus characteristicis quae nulli praeter ipsum conveniunt. Nam sive per א primam Litteram dexteram in Nummo legas אדם *homo* , sive אל *Deus* , vel אלהים *Deus* , vel אדני *Dominus* vel יהוה *nomen Dei ineffabile* ; cum determinetur per illam aliam litteram ad latus oppositum , nempe per ש , quae redditur שילוה Schilo , vel ישוע *Jesus* (Salvator) vel ישועתי *Salus mea* , vel שלח *missus* (quae nomina omnia sunt specialia , ac propria ipsius Salvatoris) hinc semper intelligitur Jesus Christus Salvator Mundi . Per τὸ שילוה Schilo enim Veteres Hebraei semper Messiam intellexerunt , uti docet triplex תרגום Targum sive Paraphrasis Chaldaica , Onkeli , Jonathanis , Hierosolymitana , in quibus omnibus legitur pro שילוה Schilo *Rex Messias* : tum etiam Talmudici , ex quibus locus adductus est in radice גין ; et tandem antiquissimus liber Bereschit Rabbà , in qua scribitur שילה זה מלך המשיח *Schilo est rex Messias* . Ex posterioribus id approbarunt R. Salomon , Kimcki , Bechai , et alii . Jam vero omnes Christiani illum eumdem Messiam per τὸ שילוה Schilo indigitatum, ac expressum intelligunt Jesum Christum Mundi Salvatorem . Unde sive legatur אדם שילוה homo Schilo , vel יהוה שילוה Jehova Schilo , vel אל שילוה Deus Schilo , vel אלהים שילוה Deus Schilo , vel אדני שילוה Dominus Schilo ; semper in idem redit , nempe intelligi Messiam , seu hominem Deum , vel Deum hominem , qui redemit Mundum , ac propterea Mundi Salvator jure merito est appellatus . Sic etiam si legatur שָׁלֻח *missus* semper eadem persona debet

intelligi, sive *το* שלח *missus* appellet supra *το* אדם *homo*, sive supra *το* יהוה Jehova, vel ארני *Dominus*, vel אל *Deus*, vel אלהים; eadem, inquam, persona debet intelligi, nempe Salvator Mundi. Nam אדם שלח *homo missus* per antonomasiam, non secus ac *Filius Virginis*, debet intelligi singulariter illa persona, cui magis proprie supra caeteros alios *missio* convenit; quod certo certius non verificatur nisi de Mundi Salvatore, nempe de homine Deo, ut in Theologia ostenditur. Sic etiam יהוה שלח, vel ארני שלח vel אל שלח pariter eadem persona, quam diximus, debet intelligi, nam etsi missio etiam Spiritui Sancto conveniat, tamen illa vera missio, quae est ad assumendam creaturam visibilem in unitatem personae, non nisi ad secundam Trinitatis personam pertinet, quae cum natura humana assumpta, est Dominus Noster Jesus Christus Mundi Salvator. Tandem si littera illa legatur ישוע, ישועתי, cum Salvator Mundi fuerit Deus homo, et uti dicit Leo, nisi esset verus Deus, non afferret remedium, nisi verus esset homo non praeberet exemplum, hinc sive legatur אדם ישוע *homo Salvator* vel ישועתי, vel יהוה ישוע, vel ישועתי vel אל ישוע, vel ישועתי, vel אלהים ישוע, vel אלהים ישועתי semper in idem redit, nempe significari Salvatorem Mundi. Quod et toti inscriptioni consonat, cujus prima dictio est משיח quae nullo modo alteratur per quamcumque lectionem ex supradictis, uti demonstravimus.

Haec autem omnia observavi, ut simul complecterer modos omnes legendi primam illam litteram a latere dextro Numismatis, et simul evaderem difficultates omnes quae possent occurrere ex illis variationibus: praeter enim illos quatuor modos adductos in casu praesenti non potest dari alia lectio. In qua assertione duo sunt ostendenda; nempe, quatuor modis posse legi illam primam litteram; ac nullo praeterea alio. Primum quoad singula apparet: nam per א abbreviaturam posse intelligi ארני *Dominus*, constat ex libro *de Divino auditu*; pariter posse significari *το* יהוה nempe nomen tetragrammaton Dei ineffabile, resultat ex Tikkunè hazzohar: sic etiam exprimere posse *το* אדם *homo*, seu esse abbreviaturam *τȣ* אדם apud omnes constat. Tandem etsi haec littera א non deserviat pro Nomine Divino אל, vel אלהים *Deus* apud Cabalistas nisi cum virgula supra posita, tamen ratione dilatationis excavationis dictae litterae א in Numismate potuit deleri virgula illa supra posita, et confundi una simul cum excavatione dilatata ipsius litterae א in Numismate. Quare cum א indiscriminatim inserviat illis quatuor lectionibus, et illae quatuor lectiones non repugnent neque litterae si-

bi oppositae ex altero latere; neque ipsi imagini; neque integrae inscriptioni: hinc noluimus amplecti unam lectionem prae altera, sed potius ἀδιαφόρως omnes commendare. Igitur apparet quatuor illis modis posse legi illam primam litteram et ex ipsis abbreviaturae regulis, et ex toto contextu, ac consideratione. Modo ostendam nullum alium legendi superesse modum. Scio quandoque א poni ad significandum per abbreviaturam אחד unus, vel אחת *una*, uti videre est in illo א בפה וא בלב idest *unum in ore*, *et aliud in corde i.* animo: sed virgulam suprapositam debet gerere ad latus sinistrum: talis autem virgulae ne vestigium quidem invenitur in Numismate, quae neque poterat commisceri cum ipsa imagine, quae in sua integritate manet, neque cnm excavatione Litterae א ratione suae distantiae a dicta littera, quam necessario semper a latere sinistro servare debet. Praeterea talis abbreviatura in numeris tantummodo valet, vel in enumeratione: At enumeratio ibi non potest esse, ubi nil enumerandum; neque potest esse primum, ubi non est secundum: Jam vero in hoc Numismate non fit ulla enumeratio, nec potest fieri. Quid enim post illud primum excogitari potest secundum, vel tertium? Quae cum per se clara sint, omnibus etiam linguam hebraicam non callentibus; necessario ac sponte sua inde sequitur abbreviaturam א׳ ad τὸ אחד, vel אחת demonstrandum, omnino excludi a nostro Numismate. Progrediamur itaque ad ulteriora. Littera א valet 1000. sicut ב 2000. sed eaedem subsistunt rationes, quibus jam exclusimus א abbreviaturam אחד vel אחת: nam et virgula debet esse, non superius et ad latus sinistrum, sed inferius et in medio ipsius א, sicut et in medio ipsius ב ad 2000. indigitandum; cum ergo dilatatio litterae א in Numismate non fuerit in medio, per quam dici posset fuisse confusam, ac immersam cum ipsa littera א suppositam dictam virgulam, ut intuenti א in Numismate apparet; ideo haec quoque abbreviatura litterae א excludi, ac omnino removeri debet a Numismate; ubi nec unus, vel unum, vel una idest אחד, vel אחת consistit ac figi potest ad enumerandum uti vidimus, nec 1000. ennmeratio fingi, ac excogitari potest. Tandem non ignoramus, litteram א poni etiam ad significandum ראשון *primus*, vel *primo*, vel faem. ראשונה *prima*; sed si non prima ex duabus jam adductis, ratio secunda sufficit ad removendam et hanc tertiam abbreviaturam.

Exclusis itaque numeri, vel enumerationis abbreviaturis, ad quas

א inservit; veniamus ad tres alias abbreviaturas, ad quas character א ex sola voluntate Judaeorum Doctorum, quae ex traditione nobis constat, addictus est, ac famulatur. Quandoque itaque א significat אמן, quod passim in comment. occurrit: quandoque אויר *Aer* videlicet *Aura*, ut in lib. פי חשם, cujus auctor est Rabbi Jacob Cohen: quandoque tandem significat אמר *dixit*, sed quisque facile videt inutiliter tempus teri ad removendas has abbreviaturas: Nam אמן numquam ponitur in principio, cum sit verbum indicans consensum, vel complacentiam alicui dicto, vel loquutioni: in Numismate autem primum locum tenet dicta littera א ad normam genuinae lectionis orientalis. אויר vero nil commune habet neque cum imagine, neque cum littera ad aliud latus imaginis, neque tandem cum ipsa tota inscriptione, ut consideranti liquet. Tandem אמר etsi in loquutionibus poeticis, ac propheticis quandoque, vel plerumque principatum teneat in locutione: tamen non convenit inscriptioni ubi nec subsequitur loquutio, neque est, vel inveniri potest loquens. Praeterquamquod א quando significat אמר *dixit* communiter scribitur praeposita littera ו ut ואמ, pro ואמר, *et dixit*, quod pro verborum sensu legitur etiam in plurali, ut אמרו *dixerunt*, ואמרו. Hoc tamen ו non apparet in dicta littera א, neque immixtio ejus cum dilatatione א, quae potius in medio excrevit, et non ad latus dexterum, ut oculus ipse testatur: quamvis ex sola prima ratione adducta jam sufficientissime sit comprobatum, litteram א non inservire τω אמר, neque אמרו, nec ואמר, neque ואמרו. Quare cum praeter enumeratas abbreviaturas litterae א non sint aliae, neque esse possint (cum non pendeant ex nostra phantasia, sed potius ex majorum traditione, praesertim in hac lingua, quae amplius vulgaris non est); et cum omnes enumeratae nullimode ad rem quadrent, imo potius repugnent: hinc tuto concludere possumus praeter supradictos quatuor modos, nullum alium modum assumi posse ad dictam Litteram א legendam, ac interpretandam.

Scholion.

Etsi quatuor modis a me sit lecta littera א in Numismate, nempe per τo יהוה, אדני, אדם, et אל, ac אלהים, tamen mea sententia, ac opinio stat pro tribus primis, nempe יהוה, אדני, אדם; alium autem modum legendi nempe אל, vel אלהים inserui in signum venerationis erga

doctissimum virum, a quo audivi propositum fuisse hunc quartum modum; sed non placet quia ad nomen Domini designandum superponenda fuisset virgula אל ut apud Cabalistas videre est; deficit autem in nummo: neque ex dictis ratio cur deficiat afferri potest; non fuit enim tanta prolongatio א in Numismate, ut cum illa virgula confunderetur, et una evaderet excavatio.

Haec sint satis pro prima Littera א. Dicamus modo aliquid de Littera ש: Quare nempe potuerit legi illis quatuor; vel tribus modis, quos recensuimus. In hoc autem ipsamet conservatio Litterae ש, quae suam retinet formam, uti videre est, movit nos ad ita legendam: dilatatio autem dictae litterae ex ambobus lateribus superioribus ad legendam cum י vel cum duplici י, idest lateralibus; non videtur enim major ratio, quare debuerit Littera illa dilatari supra potius quam infra, ex uno latere potius quam ex altero: Cum autem dictum י, vel dicta י non mutent sensum, ac intelligentiam dictae litterae ש: hinc indifferenter nos tradidimus illas tres lectiones idest vel ש, vel יש, vel ישי. Adjunximus et quartam leetionem, nempe ישו, quia non contradicit aliis lectionibus (cum idem semper significet, uti ex interpretatione jam data) et in signum venerationis erga Doctissimum Virum, a quo pariter audivi propositam fuisse hanc quartam lectionem uti diximus superius de lectione אל, vel אלהים *Dominus*, per abbreviaturam א. Verius tamen loquar, a me non potest approbari et haec quarta lectio: nam litterae in aere excavate dilatari possunt, non restringi, ut quisque facile intelligit, nam soli vis corrodit, non adiungit et applicat materiam heterogeneam: Jam vero in latere sinistro τε ש restrictio adest non dilatatio. Seu clarius, י potest fieri ו, non viceversa, ex humiditatis efficacia. Quapropter hanc ultimam lectionem nos non amplectimur. Rationes autem, quare illam triplicem nostram versionem tradidimus, nempe vel pro שילוה, vel שלח, vel ישוע, vel ישועתי, plures sunt, nempe et imago ipsa, et inscriptio ex altera facie Numismatis, nempe A, in qua prima dictio est משיח Messias; ne dicamus etiam ex illa prima Littera א; ut non redarguamur fallaciae illius, quae dicitur circulus vitiosus, cum jam lectionem ac versionem א determinaverimus illis omnibus modis supradictis ex ipso ש, vel ex vi, ac significatu ipsius ש; quamvis possemus respondere, etiam si et haec ratio adduceretur, procedere has nostras demonstrationes in diverso genere causarum. Sed de his Scholastici tricentur, non Philologi. Nos statuimus lectionem, ac versionem primae litterae א pluribus rationibus, inter

quas valebat etiam non repugnantia , imo consonantia cum sua Littera collaterali ש , quae simul junctae rationes unam ac veram efficiebant demonstrationem lectionis litterae א : sic autem firmiter , ac inconcusse statuta lectione , ac versionelitterae א inde potest iterum assumi argumentum ad confirmandam lectionem , ac versionem Litterae ש ex ipso א jam determinato aliunde . In quo quidem nulla adest circuli vitiosi fallacia , ut ipsi quoque Logici iutelligunt . Non repugnamus autem , quamvis non tradidimus , posse esse abbreviaturam pro τω שם Nomen , vel שמות Nomina , vel שער porta ; nam haec omnia nomina nullam habent repugnantiam cum Littera laterali א , quocumque modo ex supradictis vertatur , imo summam harmoniam , ac consonantiam cum ipsa imagine ; neque aliquam virgulam exigit vel in dorso , vel in calce , vel lateralem ad hoc ut illa significet . Repugnamus autem ut significet 3000, , vel sit ejus abbreviatura ; valent rationes eaedem , quae removerunt א ab enumeratione quacumque . Require supra , ne acta agamus . Similiter repugnamus , ut significet , vel inserviat τω ימח שמו *deleatur nomen ejus* vel ימח שמם *deleatur nomen eorum* , pariter ימח שמו וזכרונו *deleatur nomen ejus , et memoria ejus* יהוה שמים וארץ Dominus *caeli , et terrae* ; Tandem יבא שילה ולו *Veniat Silo* , vel *filius ejus* , et ipsi . S. *expectatio gentium*. vel ינון שמו ויתברכו *propagabitur nomen ejus , et benedicetur* , nam omnes istae abbreviaturae exigunt virgulam suprapositam ; insuper et ו in latere sinistro ש , quod jam nobis non placere ostendimus .

Non reddimus autem rationes , quare ipsa inscriptio a nobis sit lecta modo supra exposito , et sit versa latine modo jam tradito , quia rationes sunt sparsae in propriis locis , quae possunt simul colligi in sequentes ; nempe et majestas , ac dignitas inscriptionis , et inscriptio Salvatori inserviens ; et analogia ad ipsas abbreviaturas ; nam invicem haec omnia , uti diximus , se coadjuvant : Insuper et assimilatio characterum , qui in propria adhuc forma remanserunt per proportionem ad alios penitus deletos , ac corruptos . Ex divisione dictionum in diversis lineis tantum posset redargui haec nostra interpretatio , ac lectio . Sed caeteris omissis , quae jam diximus , sufficiat pro coronide observare , quod etiam omnes aliae interpretationes in uno saltem loco talem canonem non observant . Peto ergo si in uno potuit non servari quare non in caeteris ? cum aliter bonus sensus extundi nequeat ? cum divisis dictionibus liquida fluat , et absque ulla violentia interpretatio ? Inscriptiones non sunt pro modulo Nummi , sed Modulus Nummi inservit inscriptioni ,

cui debet inservire; inscriptio vero vel pro imagine, vel pto imaginato; quod cum fuerit Salvator, ad ipsum interpres debet inspicere. Majestatem imaginis, ac imaginati debet considerare, et non exiguitatem Moduli Nummi, quod est purum Medium inanime. Sed levia nimis haec sunt, quam ut amplius in his immoremur.

ANIMADVERSIONES IN ALIAS VERSIONES.

In primam, quae est Rev. Barrett, observo non omnes legi characteres, qui in inscriptione necessario inspiciuntur licet paullo corrupti; qui neque a casu poterant efformari tali modo, neque est verosimile, quod vacuum ibi esset, et inde characteres ex vi soli extitissent.

Nam ipse legit

משיח
מלך כא כש
לום ונאור מא (לא)
דם
חי

Nam in quarta linea non leguntur characteres, qui sequuntur in inscriptione, qui a nobis sunt redditi בשועתו cum syllaba quintae lineae: en enim ejus versio „ Messiah the King came in peace „ et sic complectitur primam syllabam tertiae lineae, seu tres illos characteres, nec aliter potest esse in sua sententia: inde prosequitur, and being made the light (quod totum exprimitur per *το* ונאור part. Niph. *illustris*, seu *lumen*, *factus est*, ut in Ps. 76. 5.) of (or from) Man, (quod exprimitur ac significatur per *το* מאדם, vel לאדם nempe per ultimos duos characteres tertiae lineae, et per primos duos quartae) liveth „ quod significatur per illa duo signa ultimae, ac quintae lineae. Quare semper desunt verba, quae claudunt, ac implent quartam lineam, quacumque analysi constituta, vel alia deerunt, si alia analysis constituatur, vel quidam characteres erunt pure arbitrarii, nullum nempe habentes fundamentum in ipsa forma, quae adhuc saltem in quibusdam remanet. Nam si velimus dicere, quod *το factus est*, seu *cum esset factus* juxta *το being made*,

attribuerit illis verbis , quae desunt in quarta linea , et potiusquam legerit ונאור legerit ואור idest *et lumen*, tunc certo certius illa verba quae desunt in illa quarta linea nil similitudinis habent, vel cum עשה, עבר, עלל, פעם, פעל , vel cum quibuscumque aliis, quae significent *facere*, vel sint ejus radices ; vis autem soli ut saepe saepius dixi, potuit quidem dilatare, conjungere, ac confundere quoque characteres , at non viceversa, nempe coactare , disiungere , ac remarginare . Tandem nec dignitatem , ac majestatem retinet inscriptioni propriam , et praesertim de Salvatore; imo dicerem etiam , nec veritatem , sed judicent alii ; nam ex quo factus fuerit Salvator lumen hominis , non propterea vivit, sed vivit, quia est ipsa vita , vel in eo est ipsa vita , quae ex seipsa deficere non potest ; vel si colon illud nempe, τω cum factus fuerit lumen hominis , non adducatur ut causa *vitae*, quae subsequitur ad ipsum colon; inutiliter inseritur et in inscriptione , et in το *vivit* : nil enim admirabile est ex quo illuminet homines, quod vivat, imo non potest non vivere, nam si alteri donat vitam , a fortiori in seipso debet habere vitam ; sic si alios illuminat, a fortiori in se debet habere lumen, ac propterea videre ; si videt, vivit. Quare in hoc casu inscriptio redundaret, nempe exprimeret illud, quod jam est expressum in colo immediate antecedenti, contra naturam inscriptionis , et esset simile huic „ Petrus instruit Antonium , vivit . Si instruit , responderet aliquis , non potest non vivere , unde inutiliter repetitur , *vivit* . Sed uti dixi, ipse videat Lector a partium studio alienus. Potest φιλαυτια mentis aciem mihi offuscare, vel ludificari . Pergamus itaque ad reliquas

Doctissimus Quarry certe non potuit non legere nisi modo sequenti , nempe .

משיח
מלך בא בש
לימו אורו א
דם
חי

nam versio est sequens

XXIV

Messias
ignominia in venit, regnat
. Primo . ejus Lux suo Die
(effusus est) (ejus) Sanguis
Vivit .
Anglice enim . Messiah etc. ut in pr. pag.

Unicus fuit, qui fidelissime retineret canonem hebraicum de non dividenda dictione de una ad aliam lineam · Sed hoc ipso, mea sententia, neque veritatem, neque majestatem, neque characterum figuram quae saltem adhuc remansit, potuit retinere. Non veritatem : nam *το* א non potest per se solum considerari, ut significet *primus*, vel *primum* ob allatas rationes. Non characterum figuram: nam in quarta linea verba quae desunt nil commune habent cum verbis *το effusus est*. Non majestatem tandem saltem inscriptioni debitam, ac hilaritati vultus imaginis, vel si habet majestatem, est illa quae conveniret patienti Deo. Sed videant alii, cum ad hoc dijudicandum etiam hebraicam linguam non callentes possint pertingere.

Doctor Hales legit parum differenter a Doctore Barrett, nempe

משיח
מלך בא בש
לום ואור מא
דם
חי

Nam versio est sequens

Messias
pa- in venit rex
ho- ab lumen et, ce
(factum est) mine
vivit

Quare Doctor Hales non legit ונאור, sed determinate ואור, et similiter non duplici modo, nempe לאדם, vel מאדם, sed uno tantum modo, nempe מאדם. In reliquis non differt a Doctore Barrett. Quare vide ibi refutationem.

Tandem Doctor Hincks legit

משיח
מלך בא בש
לום ואור מא
דם
חי

versio vero est sequens

Christus
pa- in venit rex
homi- ab lumen et, ce
(factum est) ne
vita

---

vel

Christus
pa- in venit rex
homi- ab lumen et, ce
(peccatore) ne
vivit

tam est verum, ultimam dictionem quartae lineae non posse repeti a verbis hebraicis *facere*, ut Dominus Hincks dupliciter verterit hoc vocabu-

lum, nempe per *το factum est*, et per *το peccatore*, qnae duo in idiomate hebraico nil commune habent, nec unam litteram. Deinde quomodo indifferenter potuerit vertere *ad verbum Vita et Vivit*, non intelligo. Tandem eaedem difficultates, quae jam recensitae sunt contra alias, hic quoque vim servant suam.

Quoad litteras in facie Numismatis B. Doctor Hincks ne verbum quidem. Doctores vero Barrett, et Hales aequaliter vertunt אדני ישוע *Dominus Jesus*, quasi nullò alio modo legi possit; quod est contra regulas abbreviaturae quae non limitatur ad hanc vel ad illam lectionem uti vidimus, in casu praesenti. Doct. Quarry vero litteram ש legit ישוע Jesus, ut alii: aliam vero nempe א legit אחד, vel אחת, vel ראשון, quae lectiones quam sint absurdae, ac discordantes, require in nostra explicatione, in qua praeter omnes veras lectiones, vides omnes has refutatas, ac falsitatis convictas.

Nondum publici juris facta est interpretatio, quam Illustris Vir Fr. Mauritius Oliverius Domino Van de Vivere comunicavit; ab hoc expostulatus, utpote Hebraicae linguae Professor in Archigymnasio Romano.

Ea sic se habet, uti fideliter trado distinguendo duas Numismatis facies ad majorem claritatem, ut ab initio

A

משיח
מלך בא בש
לום ואלו א
דם בשם יהוה
חי

B

ישו א

vel etiam hoc alio modo admittit posse legi faciem A; nam de facie B nonnisi uno modo, nempe tradito

משיח
מלך בא בש
לום ואלו א
דם בשמו
חי

imo tertium etiam modum assumpsit, vel saltem non aestimat improbabilem (ab ipso tamen excogitatum) ad legendam dictam faciem A, quam lectionem ego omittere non debeo pro mea fidelitate jam promissa, ac debita tanto Viro. Sit itaque et iste tertius legendi modus

משיח
מלך בא כש
לום ואלו א
דם כשם יתכרך
חי

Fundantur autem hujusmodi tres lectiones variantes in illis duobus parvis signis, quae in extremitate quartae lineae apparent, et quae nos legimus ע juxta naturam antiquae Scriptionis quae aliquando invaluit designandi ע ea forma: cum enim illa duo signa, seu parvi characteres accedant ad similitudinem duarum Jod יי, quae sunt abbreviaturae nominis Domini יהוה, vel אדני, imo si sint tres ייי Mysterium Sacrosanctae Trinitatis designant contra ipsosmet Hebraeos id negantes; hinc Doctissimus Vir et hanc secundam dedit lectionem. Forsan vero tertiam ratione יתי, quae est abbreviatura יתברך, *benedicatur*.

Cum autem non fuerit rigidus observator Haebraei Canonis de non dividendis dictionibus ab una ad aliam lineam, hinc nostri muneris est ad majorem intelligentiam restituere lectiones juxta dictum Canonem; et cum fractio Canonis aequaliter se habuerit in illis tribus, una restitutio sufficiet pro omnibus tribus. Sit itaque ista

משיח
מלך בא בשלום
לואו ארם
כשם יהוה
חי

Latina autem versio juxta triplicem lectionem est quae sequitur ab ipsomet donata

Messias rex venit in pace, *et propterea homo in ejus nomine* (vel *in nomine Jehova*, vel *benedictus*) *vivit*. Vel juxta distributionem linearum jam traditam, ac harmoniam interlinearem, ut omnia facilius possint commensurari.

Messias

pace in venit rex

homo propterea et

Jehova nomine in (1)

vivit

Quoad vero faciem B, in qua uno tantum modo legit tam א, quam ש, seu illos duos characteres a lateribus vultus imaginis, nempe per א et per ישו uti posuimus; pariter uno tantum modo interpretatur ut א sit littera initialis τȣ אדני *Dominus*, vel אל, et אלהים *Deus*, ישו vero pro τω ישוע *Jesus*, contendens, ultimam litteram το ישו nempe ו procul dubio vel fuisse male impressum, vel corrosum. Et sic illos duos characteres uno tantum modo vertit nempe *Dominus-Jesus*, vel *Deus-Jesus*.

Licet mihi non omnino placeat, tanti Viri, et quacumque laude majoris, mihique et amicitia, et Religionis vinculo conjunctissimi, sententiam censere nolo. Lectores eam cum nostra comparent; ex argumentis, quibus nostram munivimus, probe perpensis, quid altera valere possit, facile exputabunt.

CONCLUSIO ET ALTERIUS SUPER EODEM NUMMO DISSERTATIONIS PROMISSIO.

Haec habui, quae de Nummo ad explicandum mihi proposito dicerem, detractis (ut ab initio scripsi) parergis omnibus, et ipsis quoque ornamentis, quibus Antiquarii solent suas Dissertationes decorare. Si alios confutare ausus sum, nec modestiae jura transilii, nec mihi oggerere quisquam poterit illud grecum „ μωμεῖσθαι μεν ῥάδιον εἶναι, μιμεισθαι δε χαλεπον „ de penu quippe meo non pauca protuli. Addam mihi breviter, quod altera Dissertatione latius disputabo: Nummum hic videri adulterinum, et recentem, licet a pluribus in Anglia antiquissimus fue-

(1) vel *in nomine ejus*, vel *benedictus*.

rit judicatus: Horum potissima ratio est, literarum Hebraicarum rudis forma, qnae Hebraicae Scripturae veterem barbariem videtur demonstrare. At levissimi ponderis hujusmodi argumentum existimabunt, qui effigiem Christi in altera facie Nummi observaverint: Etenim ea, renovatarum Artium, ac probe excultarum aetatem arguit, ac satis industrii, doctique Sculptoris manum poscit. Quae contradictio plurimos alios Nummos, Hebraice, Graeceque inscriptos convicit spurios, uti notum ex historia Numismatica. Si usuram vitae nobis dederit Deus, criticum hunc laborem absolvemus, et officinam ipsam, unde mala merx erupit, indigitabimus. Et quoniam Hebraicae linguae provinciam adornare studuimus semper ac studemus, criteria dabimus indubitata, per quae adulterina monumenta hujus generis a genuinis discernantur.

לכבוד לאדני אל אלהים
יהוה ישוע ישועתנו
ישועתי הוד
והדר כבד כוח איל
תורה וזבח־תודה וקול
זמרה עולם ועד ׃ אמן ׃

ששון ושמחה
ימצא בזה׃
אמן ׃

APPENDIX.

Non me latet, Numismata plura huic nostro similia, et ferme gemina in Μϩσειοις asservari. Pingonius in libro de Sindone Evang. unum aereum dederat: alterum argenteum in Sardinia inventum possidebat paucis ab hinc annis P.Hyacintus Hintz Ordinis Praedicatorum, Sacrae Scripturae, et Linguarum Orientalium ea in Insula Professor. Hoc moduli est aliquanto majoris, quam nostrum; argenteae autem literae totidem sunt, eodemque ordine per lineas distributae; verum aliquae paulo magis, aliquae paulo minus evanidae, quam quae in Corcagiano; In perimetro affixus est uncus item argenteus, ut collo posset appendi. Explicatio Hintzii sic se habet „ Nel dritto : אדני ישו, ed il busto del Salvatore: nel rovescio משיח מלך בא בשלום ואר מאדם עשוי חי, Messias Rex venit in pace, et lux de homine facta est Vita „ Curam, tempusque impendere ad eam examinandam ineptum foret, cum eadem sit ac data a Rev. Doct. Hales, vel etiam Rev. Doct. Hincks, quasque ad criticas leges jam appendimus.

Falsum penitus est, quod, nescio quis jactavit, Dissertationem ab Hintzio fuisse editam ad rationes suae interpretationis deducendas. Quippe Numini utramque faciem sculptam dedit ad ornamentum Frontis, seu Tituli libri sui super Psalmo 67. Exurgat Deus &c., vel 68., nempe סח juxta enumerationem hebraicam, et in praefationis fine, tamquam notulam, subjecit interpretationem modo expositam.

Aereum tertium Numisma servat inter sua Numismatica cimelia Doctissimus P. Magister Dominicus Lucchesi Augustinianae familiae, Theologus Bibliothecae Angelicae, cujus eloquentiam, ac scientiam in lectionibus Sacrae Scripturae qualibet Dominica die Roma admiratur. Qua est humanitate mihi illud ostendit, reperique characteres valde detritos, et alicubi penitus abrasos. Foramen, quo prope ambitum hiat, imperite factum, ut collo appenderetur, literam ש abolevit, quae est secunda primae lineae Inscriptionis.

Haec tibi, Lector, exponere visum est, ne me putares nescium eruditionis ad nostrum Nummum pertinentis. Sunt enim qui te de aliqua re disserentem et putent, et vulgent indoctum, nisi quotquot Auctores aliquid de illa attigerunt, enumeres. In alia Dissertatione, quam promisi, originem, et usum horum Nummorum ostensurus sum: satis hic dictum esto, uncos, et foramina ad illos gestandum facta fuisse. Solemnis mos fuit, et viget adhuc, devotionis gratia, Reparatoris Jesu effigies sanctis verbis insculptas infantibus, sibique aptare ante pectus; Judaeis praesertim id Christianismi suscepti argumentum erat, et commemoratio. E nostris aliqui indocti tamquam amuleta habebant, ac majori veneratione prosequebantur, prout characteres minus usitatos, ac notos exhibebant. Ingens quaestus artifices perpulit ad hujusmodi mercem multiplicandam, et ejus antiquitatem mentiendam.

ברוך אדני יהוה יום יום׃
אמן׃

XXXI

JUDICIUM OPERIS EPISTOLA CONTENTUM.

Cum Illustrissimus, ac Reverendissimus Dominus Josephus Airenta Episcopus Savonensis &c. Praedicatorum Ordinis curam eo tempore gerens, libellum mihi tuum Adm. Rev. Pater Thoma Borgetti, de Numismate Corcagiae reperto, latino sermone descriptum perlegendum tradidisset; illum ea, quae tradentem deceret, veneratione, ac reverentia suscepi. Eumdemque animi summo studio pervagatus, in id sane operis incidisse me judicavi, ex quo cum Fidei puritas incrementum, tum etiam Litterae uberem fructum reportaturae viderentur. Scatet enim undique copia quadam ac varietate Doctrinae, rerumque Hebraicarum, et Antiquitatis notitia redundat, ita ut utrum mole minus, aut magis excellentia praestet, non facile arbitrer posse judicari. Quamobrem opusculum ea, quam non quivis illico suspicetur, voluptate perlegi, idque cum tui causa, tum etiam mea. Sperabam enim fore, ut nonnihil ab eo esset expectandum, é cujus Doctore talia, ac tanta essent consequuta. Te enim, uti scis, cum omnium bonarum rerum, tum maxime Philosophici, Theologici, eruditorumque studiorum auctorem semper ac Praeceptorem habui. Verum, ut in opella tua, e qua digredi incaeperam, conquiescam, illam sane ego eorum librorum numero, in quos Salomonis dictum cadat תפוחי זהר כמשכיות כסף דכר דכור על אפניו lubens accenseo, nihilque ea fieri posse existimo vel ad claritatem styli illustrius, vel ad propria excogitanda subtilius, vel ad aliena lacessenda modestius. Vale.

Fr. Augustinus Garibaldus Ord. Praed. S. Theol. L.
ac Hebraicae Eruditionis φιλος

APPROBATIO.

Ex commissione Reverendissimi P. Procuratoris Generalis, ac Pro-Vicarii Generalis Ordinis Praedicatorum Fr. Mauritii Viviani, Dissertationem De Nummo Hebraico &c. Fr. Thomae Mariae Borgetti S. Theologiae Magistri, ac Linguarum Orientalium Professoris, non legi modo, sed pluries relegi, ac meditatus sum: nullum enim scriptum mihi potest esse acceptius, quam illa, quibus aliquid novum, ac non publici saporis de Hebraicae linguae mysteriis contineatur. Jamdiu est, quod in hac Philologiae parte desudo, atque in ejus mysteria penetrare nitor; at vix in nuperis Scriptoribus bonae frugis aliquid reperio. Agnosco autem hoc ex libello florere adhuc in meo Ordine Sancti Idiomatis peritiam; et gaudeo inde me plura, ac non obvia didicisse. Nummus equidem optime explicatur, magna, et selecta eruditione; interpretationes caeterae modeste, at solide refutantur: nescio quid amplius ad Dissertationem ornandam addi posset.

Datum Romae in Conventu nostro S. Sabinae die 19. Novembris 1820.

Loco ✠ Sigilli

Fr. Joseph Vincentius Maria Tassoni Ord. Praed. Sacrae Theologiae Magister, ac Coenobii S. Sabinae Prior.